O wspaniałości i mocy sławnego Bolesława - Tekst łaciński

Haec erat Bolezlavi regis magnificentia militaris, nec inferior ei erat virtus obedientiae spiritualis. Episcopos quippe suosque capellanos in tanta veneratione retinebat, quod eis astantibus sedere non praesumenbatnec eos aliter quam dominos appelabat, Deum vero summa pietate colebat, sanctam ecclesiam exaltabat, aemque donis regalibus adornabat. Habetat etiam praetera quiddam iustitiae magnum et humilitatem insigniae, quod si quando rusticus pauper vel muliercula quaelibet de quovis duce videlicet vel comite querertur, quamvis esset magnis negotiis occupatus multisque cuneis et magnatum et miltum constipatus, non prius se de loco dimovebat, donec causam ex ordine conquerentis auscultaret, et pro illo de quo querebatur camerarium transmandaret; interim vero ipsum conquerentem alicui fideli suo commendabat, ne absentem sine causa accusaret, et ne iniuste conquerendo iram quam alteri conflabat sibimet ipsi cumularet. Nec accusatus citissime vocatus venire differebat, nec diem a rege constitutum qualibet occasione praeteribat. Adveniente vero principe, pro quo missum fuerat, non se illi maligne commotum ostendabat, sed alacri eum et affabili vultu recipiens, ad mensam invitabat, neque ea die, sed sequenti vel tertia causam discutiebat. Sicque diligenter rem pauperis ut alicuis magni principis pertractabat. O magna discretio magnaque perfecto Bolezlavi! qui personam in iudicio non servabat, qui populum tanta iustitia gubernabat, qui honorem ecclesiae ac statum terrae in summo culmine retinebat. Iustitia nimirum et aequitate ad hanc Bolezlavus gloriam et dignitatem ascendit, quibus virtutibus initio potentia Romanorum et imperium excrevit. Tanta virtute, tanta potentia tantaque victoria regem Bolezlavum Deus omnipotens decoravit, quantam eius bonitatem et iustitiam erga se ipsum et homines recognovit, tanta gloria Bolezlavum, tanta rerum copia tantaque laetitia sequebatur, quantam eius probitas et liberalitas merebatur.

Chronica et annales aevi Salici, red. G. H. Pertz, Hanower 1851, s. 431.